

# VISIO ANSELLI SCHOLASTICI

**Edizione di riferimento:** Ansellus Scholasticus: VISIO ANSELLI SCHOLASTICI.  
(Edidit D. Edelestand DU MÉRIL, Poésies latines populaires, t. I, p. 200.)  
**edizione elettronica:** Patrologia latina Vol. 151 [ANNO DOMINI MXCIX. B.  
URBANUS II PAPA. SAECULI XI AUCTORES ANNI INCERTI ACCEDUNT  
SCRIPTA ANSELLUS SCHOLASTICUS (0641-0652)]

In Salomonis ferculo,  
Quod construxit de Libano  
Ex lignis mirabilibus,  
Mystica signans altius,  
Ubi reclinatorium 5  
Ex auro struxit optimum  
Ascensuque purpureum,  
Ob Hierusalem filias,  
Quae designant Ecclesiam,  
Spiritale convivium 10  
Reperias quam plurimum.  
Ibi cum pleno copia  
Cornu infert cibaria  
Ut nostras querelas levet,  
Diversis cibus satiet, 15  
Quo cesset humanum genus  
Flere miseros exitus.  
Sed carpens poma dulcia  
Et convallium lilia  
Inter flores dulcissimos 20  
Ac mellis gustus sapidos,  
Unum quiddam reperies  
Quod gustabis suaviter.  
Est civitas metropolis,  
Remis dicta pernobilis, 25  
Quam Remus quidam condidit  
Qui frater fuit Romuli,  
Urbis Romanae principis.  
Hujus urbis praecipuae  
Et quondam magnae gloriae 30  
Praesul fuit egregius  
Magnus olim Remigius;  
Qui dum pontifex legitur  
Ac digne benedicatur,  
Dum deest liquor olei 35  
Quo ungatur pontificis

Sacrum caput a praesule,  
 Columba volans aere,  
 Rostro defert citissime  
 Ampullam plenam oleo, 40  
 Ore portat mitissimo  
 Quo pontifex perungitur  
 Dignus semper Remigius.  
 Hujus festum dum populus,  
 In Kalendis Octobribus, 45  
 Dum devotus concelebrat  
 Tripudiansque advolat,  
 Inter fideles caeteros  
 Et in Christo catholicos  
 Quidam affuit monachus, 50  
 Oratum venit sedulus,  
 Ut deplorans facinora,  
 Sua defleat crimina.  
 Hic intra monasterium  
 Dum possidet hospitium 55  
 Et copulatur fratribus  
 Et charitate jungitur,  
 Dum membra locat lectulo  
 Ac dormit dormitorio,  
 In visione placida 60  
 Hoc quod vidit sic intimat.  
 Adesto nunc mihi, Deus,  
 Qui es unus atque trinus,  
 Et visiones gravidas  
 Ezechielis aperis, 65  
 Ac Danielis abditas  
 Visiones elucidas!  
 Pande salutarem viam  
 Ut laudes tuas nuntiem,  
 Qualiter ruptis inferis 70  
 Animas inde tuleris,  
 In passionis tempore,  
 Et in Paschae sacro die,  
 In qua totus tripudiat  
 Orbis simul et consonat! 75  
 Dum sopor premit oculos  
 Et corpus cubat lectulo  
 In pulpito Remigii,  
 Pontificis egregii,  
 Me subito transpositum 80  
 Diaconi officium  
 Ministrare me video  
 Coram spectante populo.

Erat dies Dominica Qua Judaeorum plurima Turba processit obvia Christo, Filio hominis, Et vere Filio Dei	85
Non narrat Evangelium, Postquam venit in saeculum, Quod tantus honor fuerit Illi datus a populis Quantus ipso die fuit.	90
Hosanna! clamant pueri, Benedictus et qui venit In nomine nunc Domini!	95
Hujus honoris gratia, Plebs invida Judaica, Christum cruci adjudicans, Passioni subjiciens,	100
Latus lancea pungitur, [t funduntur?]; Sanguis et aqua funditur Anima corpus deserit, In manus Patris abiit.	
Hanc passionem timidus Dum replico devotius, Finitamque dum defleo, Et descendo de pulpito, Sinistra Evangelium	105
In ulnis gestans propriis, Videre mihi videor Descendere imaginem Christi de cruce propriam, Atque signum victoriae	110
Quod crux vocatur hodie In forti gestare manu Meque his verbis alloqui: «Si credis quod fideliter Tu, frater, legisti nuper?»	115
Ego supplex ac humilis Verum responsum reddidi? «Cum sim pulvis exiguus Atque cinis sim terreus, Ut ore legi, Domine, Sic corde scito credere;	120
Nec est ulla dubietas In cordis mei intima Quin te credam verum Deum Natum, passum ac mortuum, Ac revixisse tertia	125
	130

Die, credo per saecula.»  
 Ille sic statim imperat:  
 «Sine mora me sequere  
 Quo me vides incedere.»  
 In momento tunc oculi, 135  
 Quod nec sperare potui,  
 Ad inferna progreditur,  
 Crucem gestans in manibus.  
 Ego sequor impavidus,  
 Nihil habens quod paveam 140  
 Tanti ducis fiducia.  
 Tunc tenebrarum principes  
 Ac pallidae mortis duces,  
 Tortoresque saevissimi,  
 Pervasoresque rapidi 145  
 Diffugiunt citissime,  
 Non audentes attendere,  
 Neque ausi conspicere  
 Aspectum tanti fulminis,  
 Atque tam clari luminis. 150  
 Per campos et convallia  
 Saevi sparguntur daemones,  
 Nigriores fuligine,  
 Teterrimi nigredine,  
 Et discolores specie; 155  
 Ululantque ac mugiunt  
 Dira voce ac rugiunt;  
 Velut leones saeviunt,  
 Dum perdunt suos catulos;  
 Flent per noctem atque diem 160  
 Et carmen miserabile  
 Tetro diffundunt gutture.  
 Tunc occurrunt et angeli,  
 Applaudunt laeto Judici,  
 Excipientes animas. 165  
 Quas a tenebris liberans  
 Christus ducit ad gaudia;  
 Tunc coelo laudes resonant  
 Et melodias intonant:  
 Quod non vidit quis oculus, 170  
 Nec auris audita capit,  
 Nec in cor potest cadere  
 Quanta fuerint gaudia  
 Vel quam grandis laetitia  
 Dum redeunt ad superos 175  
 Mortis ereptae tumulo.  
 O Jesu, bone Domine!



Vide ne quisquam noceat, Sed impavidus redeat, Neque tui consimiles Illum tangant vel leviter.»---	225
Comitante diabolo Sic dimissus a Domino; Commiserat ovem lupo, Sed fauces malas strinxerat Et Leviathan vinxerat, Cujus fauces saevissimas Atque guttur nequissimum Hamo perforavit suo. Tunc simul chaos Erebi Intrantes, occurrunt mali Spiritusque nequissimi, Qui redeunt proprias, Sedes habent, sed vacuas; Unde magis atque magis Plus tabescant in tenebris.	230
Dentes stringunt cum fremitu, Voces torvas cum gemitu Dant, tormentorum socios Diro clamore concitant, Aduncis ut me manibus Et uncinis candentibus Me rapiant attentius, Unum pro multis ut caput Poenas luat non meritas. Sed, si fractus orbis ruat Et coelum cum terra cadat, Et omne simul pereat Quod natura consolidans Stringit irresolubili Vinculo, nexu quadrupli Me ferient impavidum Christi regis diaconum. Tunc ductor malus caetero Alloquio terret suo: «Si vos hunc solum laedere Malo vultis conamine, Quid facietis, miseri, Dum Christus huc redierit? Ne tangatis prohibeo, Nec laedatis vobis veto. Sinitote hunc pergere Quo jussum est a principe Qui nos terret sua cruce,	235
	240
	245
	250
	255
	260
	265
	270

Cujus virtus terribilis Est nobis formidabilis, Quam sufferre non possumus Nec nominare volumus.	275
Noster princeps non sapiens, Dum carnis videt tegumen Purum putavit hominem, Ignorans Dei Filium Carne esse absconditum.»	280
His verbis duros mitigans, Tantum pavoris incutit Ut per ignes teterrimos Et per telorum acies, Ac per nigras voragine,	285
Illaesus et incolumis Sancti sistor Remigii Infra septa coenobii Tutoris ope pessimi Qui me nondum deseruit.	290
Super altare praesulis Textum depono Domini, Deinde pono casulam Super altaris tabulam Cum stola, albam pariter	295
Tum depono celeriter; Dux me malus non deserit Usque ad locum lectuli. Statim et e vestigio Corpus in stratum colloco.	300
Astat cum nigris dentibus Et cum solutis crinibus, Cum oculis sanguineis, Urso pede consimilis, Ungues leonum similans,	305
Nigram capram pilo gerens: ---«Fac me consortem lectuli Qui fui dux itineris; Ne verearis socium Recipere in gremium:	310
Quis in via non nocuit In lectulo non poterit. Ego audax, non timidus, Christo fidens, non viribus, Vertor in dextro latere;	315
Locum do quam celerrime Pedem ponit in stramine Os ori pene jungitur,	

Alternis verbis loquimur.	
Securus de Christo meo,	320
Illum haud nihil metuo:	
---«Dic, sodex [sodes] et dux pessime	
Veritatis contrarie [veritati contrarie?],	
Quae causae nunc exstiterint	
Vel quae ratio fuerit	325
Quare Christus ad inferos	
Descenderit, quo animas	
Vobis tolleret miseras,	
Et de servitutis jugo	
Tantos redderet liberos,	330
Peccati mole gravidos	
Vestro tolleret jugulo.	
Mirror equidem nimium	
Tam validum imperium	
Sic fractos postes ferreos	335
Unius Christus digito.»	
Ipsae infrendens, barbarum,	
Horrendum, resonans, tetrum,	
Ore distorto incipit	
Labrisque fremit tremulis:	340
---«Audi nunc, male monache,	
Aure cordis et percipe,	
Vera invitus intimo	
Quod ( <i>sic</i> ) celare sed nequeo:	
Nam meum non est dicere	345
Quod verum est omnimode	
Pontifices sacrilegi,	
Abbates normae nescii,	
Infelices presbyteri	
Scortatores nequissimi	350
Mendacesque diaconi,	
Et nonae meretriculae	
Cum clericellis parvulis	
Et monachis sat invidis	
Murmuratores turbidi	355
Instant dies atque noctes	
A Paschae cursu celebri	
Quoad vestrum Pascha redit,	
Semper orantes Dominum	
Cum missarum solemnibus	360
Pro animabus perditis,	
Et laboratores mali	
Dant suas eleemosynas	
Egenis et pauperibus.	
Hi nobis tollunt animas	365

Nostra fecerunt [quae] opera  
 Horum placatus precibus  
 Atque malis operibus,  
 Vobis bonus, nobis malus  
 Jesus, nostri sat aemulus, 370  
 Sic nobis aufert animas  
 Quae fecerunt placentia.  
 Postquam surgens a mortuis  
 Heu! proh dolor! nos superans  
 Imperium comminuit 375  
 Nostrumque decus abstulit .  
 Dum redeunt Paschalia  
 Vobis grata solemnia,  
 Nobis semper sed timida;  
 Sic consuevit facere 380  
 Non veritus nos vincere ;  
 Sed in uno laudabilis  
 Nobis est gratus invidis  
 Quod eos qui criminibus  
 Diris tenentur arctius 385  
 Stricti malis operibus,  
 Homicidae, adulteri,  
 Raptores, praedae fervidi  
 Sodomitaeque pessimi,  
 Assueti perjuriis, 390  
 Quos facere non puduit  
 Quod lex vestra prohibuit,  
 Neque eos poenituit,  
 Hos non tulit, nec liberat  
 In hoc ut justus maneat: 395  
 Justis promisit praemia  
 Et pessimis supplicia  
 Si mutaret sententiam,  
 Faceret injustitiam.---  
 ---O perditae! respondeo, 400  
 Cur tui es sic immemor?  
 Cur poenitens non flecteris?  
 Et cur veniam non petis,  
 Ut quod perdis superbia  
 Et tumoris audacia 405  
 Humiliatus habeas,  
 Ac dignitatem perditam,  
 Etiam [l., et jam] decoram gloriam  
 Poscendo portes veniam?---  
 Ille spernens haec monita, 410  
 Rursus respondit talia:---  
 Erras, nescis quid moneas;

Nescis quidve suadeas;  
 Attende, paucis indico [indicam]  
 Quae sit mea sententia. 415  
 Me casus clarum genuit.  
 Sed dignitatem perdidit,  
 Haereditate carui.  
 Vos qui de terra geniti,  
 Et mortales et fetidi, 420  
 Mortis debita solvitis  
 Progenies terrae faecis  
 Haereditatem tollitis,  
 Quam nos habere decuit.  
 Qui servire debuerat, 425  
 Ille nunc nobis imperat.  
 O pudor! o miseria!  
 Ut dominus subserviat  
 Et servus jussa faciat.  
 Inter servum et dominum, 430  
 Si servus tollit praemium,  
 Dic quae pax esse poterit,  
 Vel quae fiet concordia?  
 Inter nos et vos, hoc scias  
 Et pro certo hoc teneas, 435  
 Semper erit discordia  
 Insaniaque maxima,  
 Quandiu vester Dominus  
 Nobis fuerit aemulus,  
 Et vos nobis praetulerit, 440  
 Et chariores fecerit.  
 Ad haec respondit monachus,  
 Constans atque intrepidus:  
 Tu pro tua superbia  
 Atque cordis audacia, 445  
 Vanaque extollantia  
 Perdidisti coelestia,  
 Dum putans [putas] Deo similis  
 Per superbiam fieri;  
 Et de claro archangelo 450  
 Factus es niger Aethiops.  
 Si nostri Dei bonitas  
 Atque misericordia  
 Nobis donat quod tumidus  
 Atque tu perdis turgidus, 455  
 Nos humiles acquiramus.  
 Quid refert ut tu doleas  
 Nos fieri quod fueras?»---  
 Plures sermones sparsimus:

Ac de multis questi sumus	460
Quae tulerunt insomnia	
Et a cordis memoria	
Oblivioni tradita.	
Adhuc unum quiddam manet	
Quod vobis stylus deferet	465
Ut audiatis seduli,	
Si vobis placet, domini.	
Tunc nequam inquit spiritus:	
---«Jam matutinis terminus,	
Appropinquat Remigius,	470
Quo laudes vestras habeat	
Et lectiones audiat.	
Sed te monet quae [quam] nescio	
Consuetudo improba	
Ut postquam tinnitus tuas	475
Percusserit auriculas,	
Statim lecto exilias,	
Et primus in ecclesia	
Si potes, citus abeas;	
Nam dum potes quiescere.	480
Et membra somno tradere	
Ac dulciter quiescere,	
Ut stultus, monasterii	
Primus petis introitum.	
Dum <i>Venite</i> protrahitur,	485
Quartus et nonagesimus .	
Qui morose dum canitur,	
Tunc satis potes surgere	
Ut occurras in ordine.---	
---O castigator improbe	490
Imperet tibi Dominus	
Nusquam tu bene habeas,	
Sed semper bonis careas,	
Qui suades ut dormiens	
Contra regulam faciam	495
Quae jubet nos mox surgere,	
Ut tinnitus signierit	
Auritus ab auriculis	
Tunc est necesse fratribus	
Ut occurrant quam citius;	500
Si quid tu male, pervigil,	
Dum dormiunt suaseris,	
Hoc defleant cum lacrymis	
Ante conspectum Domini,	
Sed quid te nostrum canere	505
Spectat, lupe trux pessime .---	

---Ego curro per omnia  
Et volo velox aera;  
Sum velocior Euro  
Et lustro monasteria; 510  
Si quem meum reperiam,  
Quidquid volo hoc faciat.---  
---Tandem modum nequitiae  
Jam tu mendax, fige tuae,  
Et desinas blasphemiis.» 515  
Alternis cessamus loqui,  
Evanescit ex oculis,  
Somnus gravis me deserit;  
Copulatus cum caeteris,  
Oro Deum Remigii 520  
Ut visioni somnium  
Faciatur esse congruum.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani  
by Giuseppe Bonghi